

Explicit Ecclesiasticus per me Sacerdotem Johannem dictum Bohemum Anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto et hoc in Castro Boleslawiensi Capellanum ibidem. Quo anno fuit pestis valida.

II. fol. 152. Congeriem quandam Homiletis, Catechetisque opportunam, quae constat Expositione Orationis dominicae secundum Thomam de Aquino, Salutationis Angelicae, et Symboli Apostolorum, diversis Locis moralibus PP. Definitionibus Vitiis, adjunctis eorum adpellationibus Bohemicis, et Collectione Proverbiorum ethicorum, nullo certo ordine.

III. fol. 200. Orationem invecitivam in Sacerdotes degeneres et immemores officii, quae incipit: *Cogitante me quicquid liceret et expediret loqui &c. Jacobi de Misa* est, et infra recurret.

IV. fol. 225. Farraginem Auctoritatum et Observationum theologiarum de diversis materiis, quas inter *Objectiones communes aduersariorum contra calicem domini*, item *de Communione paruulorum*, et quaedam *Bohemica*, unde mentem et patriam Compilatoris cognoscas.

V. fol. 272. *De modo artificioso Studendi Intelligendi et Memorandi*. Capitibus VII. constat Opusculum, quorum I. inscribitur: *De organo anime, quo res comprehendit sapit memorat et intelligit*. et incipit: *Magnam cuiuslibet artis vim comparat artifex cum suorum instrumentorum meliora-*

menta in primis coaptat &c. Opportuna literarum Studiosis monita, etiam e Medicorum Schola petita, per decursum adhibentur ab Autore in Veterum lectione fatis versato, cujus nomen ad calcem ita proditur: *Hoc opus terminatum est sub Anno Domini M^o. &c. LVII^o. compilatum per Reuerendum magistrum Martinum*. Quis hic *Martinus*, e *Bob. Docta Balbini* eruere non potui. Certe is in gratiam Academicorum *Pragensium* scripsit.

VI. fol. 287. p. 2. *Tractatus Beati Isidori de honestate vite*. Initium: *Dilecte fili mi dilige lacrimas &c.* Excerpta potius et interpolata e L. II. *Synonymor.* ejus a fine C. V. edit. *Breul.* p. 315. sed et ex aliis ejus Scriptis. Ita, quae sub finem leguntur de *duabus Alis Orationis*, deprompta sunt ex *Orig.* L. VI. edit. cit. p. 83. Ad calcem fragmenti nostri: *Explicit libellus moralis B. Isidori Episcopi de institutione bone vite. Sub anno domini M^o. CCCC^o. LVIII^o.*

VII. fol. 292. Miscellanea theologica resumuntur. Inter quae: *Pro Communione Parvulorum.*

XLII. VII H. 38.

Codex membraneus lat. Sec. 716 X. Folior. nunc 66. 4. caractere partim majore, partim minore exaratus, rubricisque distinctus exhibet: I. *Cantica Canticorum*, et quidem fol. 1. Fragmentum Exempli unius, quod complectitur C. I. *Versus 5 — 11.* tam glossa inter lineas,

lineas, quam marginum commentario instructum. *Fol. 2. p. 1.* quaedam in *Apocalypsin*, et nota illa *Signa* supremum Judicium praegressura leguntur. *Pag. demum 2.* integrum *Canticorum Exemplum*

ita orditur: *Incipit Epiprologus Super Cantica Canticorum Que Hebraice Dicuntur Sirasysrim.* Epiprologus hic Ogdostichon est hujus tenoris:

*Hunc cecinit salomon mira dulcedine librum
Qui tenet egregias sponsi sponseque camenas
Ecclesie et christi laudes hinc inde canentes
Et thalamos memorat socios sociasque fideles.
Has rogo menti tuę iuuenis mandare memento.
Cantica sunt nimium falsi hæc meliora maronis
Hec tibi uera canunt uite præcepta perhennis.
Auribus ille tuis male friuola falsa sonabit.*

Nescio, an Versus hi eundem Auctorem habeant, quem *Prologus* et sequens dein *Commentarius*. Prologi inscriptio et initium: *Item Prologus Super Eadem Cantica Canticorum. Salomon rex pacificus. qui et ecclesiastes est dictus &c.* Commentarii vero: *Incipit Expositio Summa Super Canticorum Cantica. Osculetur me osculo oris sui. Desiderantis uox est sinagoge aduentum christi &c.* Dedimus Expositionem hanc infra inscriptam *Bedaę*, ibique notauimus, in *Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1606.* *Brunoni Astensi* tribui, qui *Sec. XII.* obiit. Posteriores hanc sententiam aperte refellit *Codicis* presentis aetas. Sed neque *Bedaę* esse, quin potius *Haymonis Halberst.* ibidem inuenies. Id notandum superest, praeter Expositionem *Haymonis Exemplum*, quod prae manibus est, *Glossa* inter lineas aspersum esse prorsus alia, quam quae in *Bibliis Glossatis* impressis extat. Textus demum inte-

ger est; Expositio vero ab his *C. V.* verbis: *Dilectus quia per fidem et caritatem illi inhereo. Amicus uero quia me de uinculo — — Codice* excidit.

II. fol. 20. deperditis igitur pluribus foliis sequitur Fragmentum *Expositionis in Proverbia Salomonis*, et quidem a *C. ult. v. 12.* his verbis: — *que ipsa scire. vel facere ab illo adjuncta potuit. etiam aliis intimare satagit. E contrario sunt qui acceptis a domino bonis mala rependunt. id est. vel fidei misteria quę perceperunt heretica fece sedando uel fidem quam professione seruant. prauis operibus blasphemando. uel mores bonos per colloquia mala corrumpendo. Omnibus diebus uite suę. Omnibus diebus reddit domino bonum qui in his quę bene inchoat usque ad finem uite presentis persistere curat. Cui simile est illud euangelicum. seruiamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Deleth. Quęserit lanam et linum &c.*

&c. Finis: a quo ut laudari mereamur in futuro. concedat ipse propitius. nos eum dignis in presenti uita collaudare seruitiis. Amen. Plura descripsi; arbitror enim me ignotum hactenus Haymonis in Proverbia Commentarium deprehendisse. Nam et Codex totus eadem manu decurrit, et ut Commentarium Viri hujus in Cantica praecedere vidimus, ita videbimus ea

subsequi, quae is in Apocalypsin congeffit. Nemo quidem diserte adserit, eum Proverbia tractasse, ait tamen Tritemius n. 257. multa eum praeter ea, quae nota sunt, scripsisse, Sigebertus Gemblac. c. 135. multa exposuisse, denique Fabricius Bibl. med. Lat. L. VIII. p. 182. e Chronico ms. Job. Winigstadii hoc de eo testimonium excitat:

Explicat ingenio Biblia tota suo.

Laudabilem igitur locabunt operam Bibliothecarum Praefecti, si in excutiendis scriniis suis Expositionis hujus rationem habuerint, quam integram fortassis et Haymonis insignitam nomine deprehendent.

III. fol. 22. p. 2. absque inscriptione Apocalypsis S. Jobannis, hinc inde glossis adspersa, et ad illius calcem fol. 40. p. 2. pariter ἀνεπιγέγραφος Expositio, cujus Prooemium incipit: *Jobannes apostolus et euangelista a domino christo electus atque dilectus. in tanto amore dilectionis ab eo est habitus* &c. Expositio ipsa hoc tenore sequitur: *Jobannes apostolus propter insuperabilem euangelizandi constantiam a domitiano cesare in exilio in pathmos insulam relegatus* &c. et sic progreditur usque ad verba: *Mittens per angelum, ubi in Haymonis Commentarium infra referendum, impressumque Colon. et Paris. 1531. 8. incidit; legitur enim ulterius: Iste angelus in figura christi apparuit beato iobanni* &c. Nequaquam tamen to-

tum descripsit Haymonem Librarius, sed carptim processit usque ad C. XVII. v. 7. in quo scribere desit.

XLIII. VIII. g. 14.

Codex membraneus lat. Sec. 590 XII. Folior. 168. 4. nitidissime exaratus, coloribusque variis diversos S. Scripturae Libros complectitur, hoc quidem ordine: I. Incipit Liber Job. Textus Vulgatae, nulla tamen Versuum distinctio, neque illa Capitum divisio, quae hodie obtinet. Ad calcem minio: *Explicit liber iob. versus ̄. dactos. habens; Incipit prosa.* Haec Prosa nil est aliud, quam iudicium, quod Hieronymus in Epist. ad Paulinum de Jobo tulit; unde etiam subscribitur: *Hec Hieronimus de Job.*

II. fol. 22. Incipit liber ysaiæ prophetae. Eadem conditione, qua praecedens. Ad calcem: *Explicit ysaias propheta. vers. III. d. lxxx.*

III. fol. 64. praemissis Eusebii Canonibus nitide delineatis, abs-